

ANEA, QVIBVSDAM ANAFFA.



A ZAAMVRVM.



D I V.



Cum Præcipio.

GOA fortissima India vrbs in Christianorum potestatem anno Salutis 1509. deuenit.





A N F A.



NFA, ab alijs Anaffa, amplissimum oppidum, à Romanis in Oceani littore extructum, cum omnibus Africæ ciuitatibus situ locique amcenitate certare potest, Planities illi (præterquam in Septentrione, nam ea parte mare respicit) patet in longum octuaginta ferè passuum milibus. Templâ quondam habuit mirifice extructa, officinas complures, palatia insignia: cuius rei facile fidem faciunt, quæ in hunc vsque diem relicta sunt monumenta. Spatiosi illis fuere horti, è quibus & magna fructuum copia decerpitur, melonum præsertim, ac citrioli: quæ omnia maturitatem medio Aprili attingunt, quare incolæ suos fructus Fessam deferre solent, quod multo citius matura colligantur, quàm Fessæ. Vestitus illis cultus est atque ornatus, fuitque summa eis semper cum Lusitanis, ac cum Anglis consuetudo. Eruditorum hic copiosus est numerus. Verùm duas ob causas huius loci ruinam euenisse volunt. Primò, quod supra modum libertatem ambiebant: secundò, quod myoparones in portu habebant, quibus Gades, atque Lusitanos miris indies vexabant incommotis. Quare tandem Portugalliæ rex classem expeditissimam quinquaginta nauium ad eos misit, quæ incolis tantum terroris intulit, vt illi arreptis secum quæ poterant bonis, Rabatum honnulli, alij Selam confugisse dicantur, hostibus eam urbem depulandam relinquentes. Qui autem à rege totius classis dux missus erat, fugæ omnino ignarus, suas copias accuratè instruit. Postea verò quæ gesta erant, à quibusdam intellectis, milites in urbem introduxit, quâ vnus diei spatio sic vastarunt, domos incendio deluerunt, atque muros multis locis solo æquarunt, vt in hunc vsque diem habitatoribus vacua remanserit. Expugnatum est hoc oppidum Anno salutis 1468.

Afrika  
N.W. kust.

A Z A A M V R V M.



Z A A M V R V M Duccalæ oppidum, Afris conditoribus ad Oceani litus eo ipso loco quo flumen Omimirabi initium habet, extructum: ab Elmadina miliaribus ex Meridie plus minus triginta distat. Spatiosum est atque amplissimum, habitatoribus copiosissimum, familias numerat circiter quinquies mille. Hanc perpetuò Lusitani mercatores habitant. Incolas habet ciuiles, habituque admodum ornatus. Populus in duas diuisus est partès, & tamen perpetua illis pax est. Frugum atque leguminum maxima illis prouenit copia, etsi nihil quicquam horti præter ficus producant. Piscium his tanta est affluentia, vt inde singulis annis aureorum aliquando sexies mille, nonnunquam & septies mille prouentus redeat. Piscandi autem tempus ab Octobri mense, ad finem vsque Aprilis est. Solent pisces in sartagine cum aliqua olei portione frigere, atque inde tantum pinguedinis colligunt, vt non facile quis credere possit: hanc lychno pensili infundunt, non enim aliud habent huic rei aptum olium. Huc semel in anno confluunt Lusitani, ac tantam piscium copiam auerunt, vt illi iam dictam enumerent aureorum summam. Hinc factum est, quod Portugalliæ rex, spæ prædæ allectus, non semel ad eos classes miserit extructissimas: quarum prior propter ducis imperitiam, in ipso gurgite dissecta, ac propemodum omni ex parte submersa fuit. Post hæc rex ducentarum nauium classem expeditissimam misit, qua conspecta tantum intulit ciuibus terrorem, vt omnes in fugam sint redacti, tanta cum portas ingredientium strepitu atque turba, vt in ea ciuium plusquam octuaginta fuerint interfecti. Anno post Christum natum M. D. XIII. Die II. Septembr.

(Azamor).  
idem.

D I V.



DIU, veteribus Alambater in insula, eiusdemque nominis pulcherrima & populosa ciuitas ad ostium Indi fluminis in mari Malabarico, Regi ciuitatis & ditioni Cambaia quondam parebat. Sita in fronte sinus Cambaia, Indicum respiciens mare. Quam Christiani nauali prælio, classe 239 nauium, omni armorum genere instructissima, non sine maxima difficultate expugnauerunt. Nam oppidanis rex Cambaia, Adensium, & ciuitatis Calchut, auxilio fuerunt.

India  
nord. deel  
W.-kust.

G O A.

GOA, vrbs admodum in India potens, in regno Decam prouinciæ Malabar, in insula maris Malebarici seu Calecutici sita: De qua plura in indice.

W.-kust.



GOA, Diu, ... Braun and Hogenberg ~ 1594  
copied in Amsterdam on 26/11/94 in the name J. MARCUS (W. 256420)  
for 200 florins ~ 18.500/100